Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Contra eos qui unigenitum dei non paterne nature sed uoluntatis filium esse dixerunt.

1 Quo circa ridenda est dialectica eunomii, a quo eunomiani heretici exorti sunt. Qui cum non potuisset intellegere nec credere uoluisset unigenitum dei uerbum per quod facta sunt omnia, filium dei esse natura, hoc est de substantia patris genitum, non nature ut essentie siue substantie dixit esse filium, sed uoluntatis dei. Accidentem scilicet deo uolens asserere uoluntatem qua gigneret filium. Videlicet ideo quia nos aliquid aliquando uolumus quod antea non uolebamus. Quasi non propter istam mutabilis intellegatur nostra natura, quod absit ut in deo esse credamus. Neque enim ob aliud scriptum est: multe cogitationes in corde uiri, consilium autem domini manet in eternum, nisi ut intellegamus uel credamus sicut eternum deum, ita eternum eius esse consilium, ac per hoc inmutabile sicut ipse est.

Quod autem de cogitationibus, hoc etiam de uoluntatibus uerissime dici potest. Multe cogitationes in corde uiri, uoluntas autem domini manet in eternum. Quidam ne filium consilii et uoluntatis dei dicerent unigenitum uerbum, ipsum consilium seu uoluntatem patris idem uerbum esse dixerunt. Sed melius quantum estimo dicitur consilium de consilio et uoluntate de uoluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia. Ne absurditate illa quam iam refellimus filius patrem dicatur facere sapientem ut uolentem, si non habet patrem in substantia sua consilium ut uoluntatem. Acute sane quidam respondit heretico uersutissime interroganti, utrum deum filium uolens an nolens genuerit. Ut si diceretur nolens, absurdissima dei miseria sequeretur. Si autem uolens, continuo quod intendebat ut inuicta ratione educeret.